piade concubuisse credebat, ut supra (habetur) P. 1. Fol. 88. Ideo insigne Jovis, aquilam, sibi tamquam haereditario jure proprium aestimavit. Nam Jupiter multa pericula evasit sub forma aquilae, Gigantes enim fugiens mutatus in aquilam evasit; et ad Asteriem virginem elegantissimam mutatus in aquilam venit et cum ea concubuit, ex quo concepit et fortissimum Herculem peperit, qui et ipse aquilae insigni usus est. Quo etiam postea usi omnes Romani imperii imperatores usque in hanc diem.

Iupiter in sui perpetuam memoriam instituit Olympiacos ludos, qui sub monte hoc celebrabantur, a quo et nomen sortiti sunt, et de quinquennio in quinquennium conveniebant proceres terrae, et festa Olympiaca peragebant diversis lusibus, et qui victor in aliquo ludo exstitit, dabatur sibi, quidquid peteret, unde praemium Olympiadis maximum reputabatur. Unde Romanis legibus statutum fuit, quod, quicumque tyrannum occideret, Olympico praemio potiretur.

Ab his ludis computabant antiqui annos et tempora distinguebant, unde Olympias prima fuit celebrata apud Graecos in monte Olympo anno ante incarnationem Domini 774 tempore Oziae regis Judae, et fuit instituta ex agone gymnico. Hercules enim tempore Jair, judicis Israel, olympiacum agonem apud Graecos ad Jovis honorem in Olympo monte primus instituit, quod de quinquennio in quinquennium, quatuor in medio annis expletis, fieri voluit. Ita Olympias una quatuor plenos continet annos; et quidem sub centesima (et) 93 Olympiade, ut martyrologium habet, Jesus Christus in Bethlehem Judae nascitur, ex qua fiunt anni 774.

In eadem regione est alius mons, Parnassus dictus, qui biceps est, cujus vertices alter Apollini, alter Baccho sacer est, cui propinqua civitas est Thessalonica, ad quos scribit S. Paulus epistolas duas pulcherrimas, et regio adjacens propter civitatis eminentiam dicitur Thessalonia. Et Thessali primi dicuntur fuisse, qui equos frenis domuerunt super dorsa eorum insidentes, et videntes a longe aestimabant unum corpus, in superiori parte hominem, in inferiori vero equum, propter quod milites Thessalorum Centauri ficti sunt. Veri tamen Centauri dicuntur esse homines equis mixti, monstra eremi, ut habet Hieronymus in Legenda beati Paul. Pulcherii. In ea regione primo solidi aurei inventi sunt. Porro tempore Moysis accidit quoddam diluvium in ea regione, quo

319
317
323
313
328
308
368
268
418
218

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;